

immerito, dum partim id scribo & studiosis omnibus nunc instructius communico, quod quidam Zoili mei homines sane imperitissimi (simeas dicas ineptissimas rerum omnium imitatrices) nequeant sibi usurpare, quod nequiter nunc in profectioe Turcica fecere, partim in hoc nouo Horoscopio describendo naturam ipsam solertissimam utiq; magistrastram mihi imitari lubet, quæ quicquid primum rude crasumq; producit, paulatim exornando ita purgat, ut tandem sit modis omnib; absolutissimum. Mireris hic inchoatos tantum & informes vrsæ foetus, nil nisi carnem candidā & rudem, paulo muribus maiorem, sine oculis, sine pilo, vnguibus tantum prominentibus, eā illa tamen lambendo paulatim figurat & format. Huic itaq; nostro Horoscopio nouo, iamq; denuo recognito & plane tū recentiori tum auctiori facto, dum patronum quererem, neq; enim tutū satis erat propter Zoilos quosdam, rerūq; etiam optimarum & iudices iniquissimos & mordacissimos osiores, illud sine omni patrocinio in lucem ædere, ex multis tu mihi solus vir clarissime placuisti, cui hoc quicquid erat inuentum, nostrum utiq; & domi nostræ natum dicaremus. Persuasit hoc nobis insignis illa nominis tui, eruditionis, humanitatisq; autoritas & fama, neq; parum nos ad hoc faciendum impulerunt, que mihi coram de candidissimo bonisq; & studiosis omnibus fauentissimo animo tuo retulit, ipse quoq; humanissimus neq; minus eruditissimus vir D. Magnus Gruber de Pautzen artiū & Philosophiæ Magister, qui cū mihi aliquot iā annis magna intercedit familiaritas, Certe .n. is, qd ipse apud me cōceperam tibi dicere penitus tandem persuasit, effecitq; in ea re tantum, ut ipse iam hic cum suo horoscopio libellus aliū nisi te nullū plane velit patronum, suoq; iam velut iure mecū agere pergat, ne præter te quenq; eligam, Obijcit, ut persuadeat facilius immensum illum vltim, quem tibi cum Imperatore Augusto hinc inde proficiscenti prebere poterit. Pro se etiam affert, quam rara sint horariæ obseruationis instrumenta, et ea quoq; quæ vulgo circumferuntur quā sint tum falsa tū ad exiguam regionum mutationem & in certissima & plane inutilia. Age igitur quando æquū est fiat, Tu modo vir præstantissime suscipere patrocinium illud non dedignare, sed, qua soles in omnibus erga amicos tuos præcipue rebus tum integritate tum benignitate agere omnia, hic quoq; erga Apianum tuū vitior & nō libelli exiguitatem sed offerentis animum integerrimum illum sane & tibi cōprimis deditissimum aspice, operamq; hanc nostram ita tibi dicatam habe & propriam ut cōmendatam quoq; noris aduersus quorundam insultus, si modo qui futuri sunt qui vel minimū oblatrare audebunt, quos ego tamen nec moror nec metuo, & habunde quidem satis mihi fecisse videbor, si vbi tibi nō omnino displicuisse hunc nostrum videro laborem, publicæq; studiosorū utilitati nonnihil fructus attulero, quod qmō futurū non sit equidē non video, illud tantummodo si impetraro apud te, addideris hic mihi animum & maiora proferendi, & tibi quoq; ex nostro penu ampliora quædam quantocyus dedicandi. Vale vir ornatissime, tuūq; tibi Apianum commendatum habe. Datum Ingolstadtij 14. die Mensis Augusti, Anno Dñi Millesimo Quingentesimo Trigesimo secundo. Sole Virginem intrante, cum Luna Veneris stellam foelicissimo radio aspiceret.